DE MORBIS PROSTATAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

SAMUEL LUBARSCH

NEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

J. GERSON, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
B. PINCKSOHN, MED. ET CHIR. DR.
STAN. LUTOMIRSKI, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Ista sequimur, ut sine cura metuque vivamus, animumque et corpus, quatenus efficere possimus, molestia liberemus.

Cicero: de finibus bon. et malor. Lib. I.

VIRO

AMPLISSIMO ATQUE NOBILISSIMO

BENNY BURCHARDT,

FAUTORI HUMANISSIMO SUMME COLENDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

§. 1.

Sicuti de functionibus prostatae physiologicis fere omnia crassis adhuc tenebris latent, nec, quae de iis sunt dicta, ultra hypotheses procurrunt, ita morbi, praecipue chronici, prostatae non multo manifestius in lucem prodeunt apud vivos, quod quidem partim explicatur, cum locum in quo versatur, oculis nostris abductum, deinde vero vitae gradum, ut omnium glandularum, modo exiguum et decursum mutationum perversarum plerumque lentissimum in memoriam nobis revocemus. Cui autem rei accedit, quod morborum numerus, quibus regio prostatica affici potest, tantus est, ut jam ideo diagnosis etiam illis, qui in artis medicae studium jam diutius incubuerint, varias difficultates praebeat. Namque elucebit, morborum uriniferorum ex symptomatibus dysuriam insignissimum esse, quae quin a sexcentis possit morbis originem trahere nemo dubitabit; nam et lithiasis hoc symptomate vitam aegroti insuavem reddit, ulcera aliaeque degenerationes vesicae, in-

durationes tunicarum ceteraeque, dysuriam provocant, idemque symptoma stricturae urethrae prae se ferunt. Attamen altera ex parte saepe culpam dubiae morbi diagnoseos etiam in medicum conjiciendam esse, confitendum est, qui, exploratione manuali neglecta, in symptomatibus acquiescit sic dictis subjectivis, dum tamen inter viscera interna pauca modo diagnoseos quam vocant objectivae, tam idoneam offerunt occasionem. Quare, postquam summo jure monitum est, symptomata subjectiva fere semper objectivis esse postponenda, minime autem ex illis solis certam diagnosin construi posse, etiam prostatae morbi in dies accrescunt et ab aliis et inter se distinguuntur, et haemorrhoides vesicae, quarum sub splendido nomine tam saepe ignorantia obtegebatur ut jam hospites in arte medica in illius modi passionibus in ore haberent illud nomen et paene apud medicum professi haemorrhoidibus sese laborare quasi ostentarent, paullatim diminuuntur.

Inter morbosos vero status, quos glandula prostatica inire potest, hi fere videantur praecipui: Inflammatio cum exitu in abscessum, ulcera, induratio chronica, calculi, varices, tubercula, fungus haematodes.

Caput I.

INFLAMMATIO PROSTATAE ACUTA, PROSTATITIS.

§. 2.

Phaenomena (2), quae inflammationem prostatae acutam comitantur, fere haec sunt: Aegrotus queritur gravitatem quandam et calorem urentem seu pungentem in illa regione, quam prostata occupat, in parte urethrae posteriori, dolores qui praecipue ad contactum augentur magnopere. Sine ulla fere intermissione impulsus ad urinam edendam adest, quae tamen nihilo secius vel omnino non, vel sal-

---

(1) Desault's auserlesene chirurgische Wahrnehmungen. Aus dem Französischen von Dörner. Frankfurt 1806. Bd. XI—XII.

(2) S. Th. Sömmering, Abhandlung über die schnell und langsam tödtlichen Krankheiten der Harnblase und Harnröhre bei Männern im hohen Alter Frkf. a. M. 1809.

B. C. Brodie, Vorlesungen über die Krankheiten der Harnwerkzeuge. A. d. Engl. Weimar 1833. Der chirurgischen Handbibliothek Bd. XV.

Amussat's Vorles. über die Harnverhaltungen etc. Aus d. Franz. Weimar 1833. Der chir. Handbibl. Bd. XV.

tem guttatim, idque vehementissimis doloribus, quos urina, dum collum vesicae percurrit, excitat, excerni potest; semper vero simul cum urina etiam faeces urgent, quae autem ne ipsae quidem mittuntur, cum, praecipue si torridae sunt, per pressum prostatae vehementissimos dolores inurant; saepius vero nulla excrementa adsunt, et nisus tantum inanis cruciat aegrotum, cui continenter in recto moles stercoris adesse videtur, quae excernenda esset, quique praeterea nec sedere nec quiete in lecto jacere potest, quod his positionibus perinaeum ideoque prostata imprimitur. Ita dysuria, stranguria, ischuria, dum inflammatio procedit et tumor prostatae amplificatur, summum adscendunt fastigium, tenesmus accrescit, neque igitur mirum, si talibus conditionibus systema nervosum quoque facile afficitur, quod ex alto perturbationis gradu et consensu, in quem organa digestionis per omnes morbosos status tam in majori quam in minori pelvi solito trahuntur, sat evidere licet. Ructus, vomituritio, vomitus, augent perturbationem; ac, nisi jam ab initio affuerat, nunc etiam febris accedit, eaque vel erethici characteris vel inflammatorii; torpidam ab initio nunquam se praebet.

§. 3.

Quamvis jam haec exorientis vel exortae inflammationis phaenomena, dummodo attento animo observamus, multis casibus diagnosin confirmare possint, et praesertim cum urgorem illum urinae una cum urgore faecium respiciamus, res in quam fere omnes scriptores animos nostros vertere student (1), tamen etiam phaeno-

---

(1) J. N. Rust: Aufsätze und Abhandlungen aus dem Gebiet

mena objectiva adsunt, quae dubiae adhuc diagnosi stabilitatem afferant. Licet enim per intestinum rectum digito prostatam tumefactam calidamque sentire; dein faeces impressionem ex tumore, parietem recti anteriorem premente, profectam ostendunt. Quo majores porro virium contentiones aegrotus facit, eo inaniores redduntur, quippe quibus dolor prostatae crescat. Idem fit, cum catheterem ad urinam emittendam vesicae inducere vis, quod saepissime frustra conaberis, cum tam locus per tumorem constrictus, quam aucti aegroti dolores instrumentum ne longius procedat impediant.

§. 4.

Ut tamen omnis error diagnoseos tollatur, nil nisi comparatione speciali laborum qui hominem prostatitide affectum conficiunt opus est cum iis, qui ex aliis morbis, e. g. ex calculis, spasmis organorum uriniferorum, enasci queunt.

A laboribus vero ortis ex calculis in regione vesicae prostatica, prostatitis ita differt:

1) Inflammatio prostatae plerumque subito atque improviso progignitur, cum antea prostata ipsa nunquam a morbo esset occupata. Calculi vero, etsi secundum tradita nonnullorum scriptorum negari non potest, eos in mortuis demum esse nonnunquam inventos, quorum suspicio in vivis nulla aderat, tamen in universum, priusquam tales repentinos et calamitosos casus proferunt, jam

---

der Medizin, Chirurgie und Staatsarzneikunde, Bd. I. Berlin 1834. S. 77.

Max. Jos. Chelius, Handbuch der Chirurgie. 1830. Bd. II. Abth. 1. §. 1546.

Allg. u. spec. Pathologie u. Therapie nach J. L. Schoenleins Vorlesungen. Bd. IV. S. 267.

varias molestias produxerunt et praebuerunt phaenomena dysuriae periodicae, pruritus ad glandem, pollutionum nocturnarum sine erectione, quibus natura urinae ipsius, quae secundum formam atque compositionem calculorum chemicam variat, accedit; quamquam non ignoro, esse qui glaream s. materiam calcariam (1), quae cum urina emittitur, e contrario signum contemplantur calculos non adesse. Inter quos Riverius (2), Thoner (3), Laurent (4), Pechlin (5), Blakrie (6). Itaque:

2) Absentia talium symptomatum absentiam calculorum indicabit.

3) Inflammatio ex calculis solito non solum lentius initium capit, sed etiam multo lentius decurrit quam vera prostatitis, quae, ut supra jam notatum est, rapide se determinat, sive fauste, sive infauste.

4) Dolores inflammatorii ex calculis diminui vel certe mutari, in alium locum transduci solent per mutatam positionem corporis aegroti, contra illi ex vera prostatae inflammatione semper iidem permanebunt eodemque in loco perseverabunt.

5) Exploratio per specillum etiam nonnihil ad diagnosin pertinebit; nam quamquam non illico exploratione

---

(1) J. N. Ch. Adami: De materia calcaria post diuturnam arthritidem per vesicam urinariam educta, observatio singularis. Lubecae 1740.

(2) Obs. medicae 1646.

(3) Epist. Libr. VI.

(4) Exercitationes in nonnullos minus absolute veros Hippocratis aphorismos. Hamb. 1691,

(5) Obs. physico-medicae. Hamb. 1691.

(6) Disquisition on Medicines that dissolve the Stone. London 1771.

calculi sentiuntur, tamen in repetitis explorationibus semel vel iterum occurrent instrumento.

6) Rarissime tantum causae nos omnino fugient, quae prostatitidem procreare potuerint, et quas mox contemplabimur; etiam morbi coexistentes, ut urethritis syphilitica, interdum in rectam nos ducent viam.

7) Calculis in universum homines provectae magis aetatis laborant; prostatitis acuta, dummodo causae sufficientes adsunt, juvenili aetate fortasse saepius quam senili existit.

8) Etiam regio, in qua aegrotus vivebat, nonnunquam respicienda est. Namque constat esse terrae locos, in quibus lithiasis rarissime tantum observatur, e. g. in regione Hanoverana, ubi contra ea morbi prostatae frequentiores sunt (1). Hic suspicio calculorum statim nos relinquet.

§. 6.

Causae, quae prostatitidem acutam gignere queunt, summopere variae sunt. Namque potest prostata per vim mechanicam, sicuti per contusionem aliquam, per lapsum in perinaeum, per calculos mechanice nocentes, abusu equitationis, inflammatione corripi. Longe frequentissima vero causa urethritis videtur esse syphilitica, ita ut in octo, quos Rust (2) sibi oblatos enarrat, casibus sequela fuerit gonorrhoearum seu per balsamica suppressarum sive per injectiones nimis mature in usum vocatarum. Etenim experientia nos edocuit, permultis casibus, nisi jam inflammationis verae summa ex parte sympto-

---

(1) Wichmann: Ideen zur Diagnostik. Bd. III. S. 2.
(2) Rust: Aufsätze und Abhdl. l. c.

mata exstincta fuerint, remedia balsamica, ut balsamum Copaivae, neque vero minus etiam Cubebas per vim excitantem quae secundum Vauquelin et Trommsdorff ipsis inest, aut fluxum aucta phlogosi opprimere saltem et gonorrhoeam siccam producere, quae per se in multo majus periculum ruit aegrotum quam humida gonorrhoea, aut alia organa vicina et per systema nervosum connexum ingressa, urethra vero multo graviora, inflammatione occupari; sic prostatam, testes, epididymides. Quamvis non nesciam esse, qui talem balsamicorum remediorum effectum omnino denegent (1), esse e contrario qui totam efficaciam eorum infitientur vel in dubium trahant (2), tamen de Cubebarum effectu in stadio gonorrhoeae inflammatorio multa experienda videntur; namque perspicuum est, earum effectum in stadio gonorrh. inflammatorio atque in stadio laxitatis omnino contrarium accipiendum esse si in utroque stadio salubres sunt (3).

Eundem malum successum injectiones habent prae maturae, praecipue remediorum acrium ex praeparatis

(1) Delpech: Mémoire pour l'emploi du Piper Cubeba dans le traitement de la Gonorrhée, in: Revue médicale. Mai 1822. pag. 1. Juin 1822. pag. 129.

Velpeau; Archives générales de Médecine, Janv. 1827.

(2) Michaelis im: Journal für Chirurgie und Augenheilkunde von v. Graefe und v. Walther Bd. V. S. 370.

Klaatsch in: Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. Ad. XII. S. 271.

(3) Cf. Crawfurd: on the effects of the Piper Cubebe in curing gonorrhoea, in: Edinb. med. surg. Journal. Jan. 1818. pag. 32.

Adams: a schort Account of Cubebs as a Remedy for gonorrhoea; ibid. Jan. 1819 pag. 61.

Jaffrey's practical observations on Cubebs. Lond. 1821. 8.

M. Maroy, in: London medical and physical Journal 1821. Juni.

Broughton, in Med. Chirurgical Transactions Vol. XII.

metallicis, quae, tertio genorrhoeae stadio demum accommodatae, per vim nimis adstringentem fluxum urethrae statim coercent et inflammationem alii organo vicarie transferunt. Inter haec praeparata referenda sunt: justo majores doses Zinci sulphurici, Ferri sulphurici, Cupri sulphurici, Plumbi acetici, Argenti nitrici, Ferri muriatici, Hydrarg. sublimat. corrosivi; Kali kaustici, Aluminis crudi; injectiones porro concentratae ex aceto saturnino paratae, nec non coctiones Corticum Radicumque adstringens quae principium continent, ut Dt. Cort. Chinae, Quercus, Salicis etc. concentr; injectiones Vini gallici rubri etc.

Infamis etiam illius consilii ad sanandam gonorrhoeam a Girtanner dati mentio hic facienda est, qui concubare denuo suadet, consilium quod haud raro, non quidem ut bono Girtanneri consilio obtemperent, incauti sequuntur. Omnia denique vitae generis vitia, ut nimius cursus, contentiones corporis immodicae, alimenta calefacientia, huc pertinent. Rarissime tantum sponte inflammatio ab urethra ad collum vesicae et prostatam procedere et prostatitidem syphiliticam gignere solet (1).

§. 7.

Praeter genorrhoeae suppressionem, praecipuam fortasse causam prostatitidis in juventute, dicuntur ante alios illi senes inflammatione prostatae acuta laborare, qui adolescentes masturbationem egerant. Soemmering (2) hoc monet. Dein apud homines provectae jam aetatis etiam arthritis, cum, ut vulgo dicunt, materia arthritica prostatam subito occupet, prostatitidem conflare potest,

---

(1) H. F. Bonorden. Die Syphilis, pathologisch-diagnostisch u. therapeutisch dargestellt. Berlin 1834. S. 210.

(2) S. Th. Sömmering l. c.

idque prae omnibus in illis hominibus, qui sub iis conditionibus vivunt, ut corpus suum fovere et crisibus arthritidis a natura institutis servire non possint. Inter quos vero potissimum homines de plebe, tenui in re constituti, referendi sunt; dum illi, qui melioribus gaudent conditionibus haud sane sibi parcunt, sed aliis vivendi generis vitiis, ut immodice commissando, arthritidem a regulari cursu prohibentes malum sibi contrahunt.

§. 8.

Quod de arthritide diximus, etiam de haemorrhoidibus commemorandum est. Neminem enim praeterit, quoties et quam exiguis occasionibus haemorrhoides modo regulares fieri possint anomalae; minimum vivendi vitium huc sufficit, ut ab intestino recto ad interna, imprimis vicina organa quasi transsiliant, ad vesicam urinariam, prostatam, urethram.

§. 9.

Praeterea feruntur solae perfrictiones prostatitidem posse gignere. Verisimile vero illis casibus, quos scriptores observarunt, vel prostata jam antea in morboso versabatur statu, ita ut, quod in aliis quoque organis experiri licet, perfrictione illa pars quae morbosam jam dispositionem habet, afficiatur, vel praeter prostatam etiam alia viscera, ut vesica, in morbum simul inciderent. Prostatitis enim certe saepius nobis obveniret, si sola perfrictio eam procrearet. Idem fortasse de abusu spirituosorum animadverti possit.

§. 10.

Prognosis prostatitidis facile ex ejus exitibus colligi potest. Namque, omissis illis degenerationibus prostatae, quae haud raro ab inflammatione, praecipue si in decursu

magis chronicae characterem accepit, deducendae sunt, etiam per symptomata sola periculum potest conflari. Constat enim, retentionem urinae, symptoma, quod semper inflammationi prostatae accedere potest, non modo inter maxima dolorifica, sed etiam inter periculosissima pertinere. Nam per urinam in vesica retentam tunicae vesicae extenduntur et vel perrumpuntur, ita ut infiltratio urinae in abdomen eamque mors subita sequatur, vel retenta acerrima urina vesica jam prius inflammatur. Quam rapidum vero inflammatio vesicae decursum faciat, eumque fere semper infaustum, in sphacelum dico, cuique cognitum est, cum jam Hippocrates (1) ejus prognosin pulcre ita statuerit: *Κύστιες δὲ σκληραί τε καὶ ἐπώδυναι· δειναὶ μὲν παντελῶς καὶ ὀλέθριαι· ὀλεθριώταται δὲ, ὁπόσαι ξὺν πυρετῷ συνεχεῖ γίνονται, καὶ γὰρ οἱ ἀπ' αὐτέων τῶν κυστέων πόνοι ἱκανοὶ ἀποκτεῖναι*, recentioresque scriptores omnes eam confirmarint, ita Hoffmann (2) P. Frank (3) aliique.

Interdum etiam ischuria necuit, dum sectio nullam partem demonstravit laesam (4).

§. 11.

Ceterum prognosis secundum febrem, quae inflammationem comitatur, modificanda est; nam character ejus erethicus medicum non tot difficultatibus obstringet, quam

---

(1) Coacae praenotiones, edit. Dureti. Paris 1631. p. 356.

(2) Frid. Hoffmann: medicina rationalis systematica. tom. IV. part. I. Halae Magdeb. 1737. p. 489.

(3) De curand. hom. morb. epitome. Aus dem Latein. von J. F. Sobernheim 2. Thl.

(4) Everard Home: praktische Beobachtungen über die Behandlung der Krankheiten der Vorsteherdrüse. Aus d. Engl. von W. Sprengel. Leipz. 1817. pag. 38.

inflammatorius, qui praeterea quod exitus inexspectatos multo prius adducit, etiam ob symptomata graviora diligentissimam medici curam vindicat; et hic denuo prognosis secundum constitutionem aegroti debiliorem vel validiorem variat, quae medicaminum antiphlogisticorum apparatum magis vel minus coercet.

§. 12.

Non minus causae morbi ratio habenda erit. Optimam prognosin causae mechanicae permittunt, quibus homo alias integra valetudine expositus erat. Multo pejorem prognosin in illis statues, ubi prostatitis per metastasin alius morbi conflata est, imprimis haemorrhoidum aut arthritidis; nam omissa illa re, homines, qui his morbis laborant, jam seniores, saepissime per se simul vitio, quodcunque est, prostatae affectos esse, in universum notum est, inflammationes per metastasin ortas rapidissime decurrere, ac rarissime contingere, morbum genuinum in pristinum locum revocare.

§. 13.

Curatio prostatitidis secundum causas, quae eam procrearunt, variat. Itaque, si per metastasin arthritidis ex alia parte externa orta est, ante omnia oportet materiam sic dictam arthriticam ad hanc sedem priorem per frictiones, fomentationes acres, sinapismos (cantharides initio certe ob dysuriam, quam facile augent, nocerent) repelli, quod nonnunquam contigit (1), saepius vero sine ullo emolumento fit. Ita Petersen (2) ischuriam omnino cedere vidit, postquam et chiragra et podagra ad partes

---

(1) Barthez. Abhandlung über die Gichtkrankheit. Aus dem Franz. von Bischoff. Berlin 1803.

(2) Casus ischuriae ex materia podagrica. Argentorati 1779.

externas reverterat; simile quid enarrat Drawiz (1). Inflammatione per haemorrhoides anomalas exorta, hirudines ad anum applicentur, per urethritidis syphiliticae metastasin, cereoli Ungt. Hydrarg. praec. rubr. peruncti urethrae inducantur; sin perfrictio eam provocavit, opium, quod quidem post venaesectionem demum datur, in omnibus casibus statim ad pedem largiter instituendam, saluberrimum est, non solum quod corporis transpirationem auget, ideoque causam amovet, sed etiam quod dolores stranguriae acerrimos mirum quantum mitigat. Idem efficit balneum. Tum saepius hirudines perinaeo applicentur, ungt. Neapolitanum lateri cruris interno infricetur, cataplasmata emollientia anodyna s. fomentationes ex spec. emoll. cum Hb. Hyoscyami s. Conii maculati, clysmata antispasmodica, et interne inprimis majores Kalomelanos doses dentur cum Laudano puro juncti, praesertim cum systema nervosum valde affectum sit. Haec vero remedia eadem perseverantia diligentiaque adhibeantur necesse est, atque in alia periculosa inflammatione, e. g. pneumonia, nam ab illis tota pro futuro salus aegroti dependet. Valent autem haec remedia excellenter non solum initio sed etiam provecto jam inflammationis stadio, et Rust (2) tradidit, se casum neglectum, in quo prostata jam pugni virilis magnitudinem aequarit, adhuc in integrum restituisse antiphlogosi assidue adhibita.

§. 14.

Interea nunquam non custodiamus ischuriam, symptoma prostatitidis gravissimum. Aptissima quidem ad

---

(1) Bericht und Unterricht vom Scharbock. Leipzig. 1704.

(2) Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. Bd. I. pag. 33.

eam removendam remedia quae modo enumeravimus putanda sunt, quoniam ex inflammatione tumoreque prostatae profecta est; quae vero priusquam vim totam exercuerint ad tumorem diminuendum, vesica saepe ita urina extenditur, ut ne rumpatur timendum sit. Quare mali est ominis, cum abdomen tumescat, vesica omnino urina completa ad umbilicum usque surrexerit manuique perquirenti fluctuationis sensum praebeat. Quo ubi venit, indicatio vitalis postulat, ut urinam per catheterem emittamus, quo quidem prostata nonnihil irritatur, sed simul impressione urinae liberatur ac cystitidi providetur.

§. 15.

Attamen hic catheterismus non exiguas offert difficultates. Nam quantaque est habilitas, diligentia, cautio, qua utamur, saepe omnino fieri non potest ut instrumento ad vesicam usque per locum inflammatum ideoque tumefactum viam teramus. Cui accedit quod canalis urethrae non solum tumore absconditus sed propter prostatam non omnino aeque vel ab uno latere magis quam ab altero tumescentem ei in collum vesicae aspere et quasi gibbose eminentem, irregulariter est curvatus. Vid. hujus curvaturae icones apud Baillie (1).

§. 16.

Hac conditione maxime idoneus est catheter sat magnus valdeque curvatus (2), qua solito majori curvatura opus est propterea quod prostata eam urethrae partem, quam complectitur, ad anterius et superius premit. Eandem ob causam stilus instrumenti, cum ad partem urethrae membranaceam provenerit, magis quam alias fieri

(1) Engravings fasciculus VIII. Plate 3. Fig. 1.

(2) Amussat über die Harnverhaltungen etc. pag. 136.

solet, deorsum proclinetur. Juvat etiam, catheterem per digitum manus sinistrae indicem intestino recto immissum, dirigere. Brodie (3) tum, ait, catheterem facillime in vesicam labi, si cristam versus ossis ilei sinistri stili directio teneatur. Num catheter in urethra remanere debeat necne, secundum difficultates quae obstant instrumenti immissioni decernitur ac secundum habilitatem qua chirurgus in catheterismo praeditus est (2). Brodie (3) catheterem semper post missionem urinae amoveri vult.

§. 17.

Si vero tamen nullo modo contingit, catheterem vesicae sine periculo perforationis, quae facillime accidit (4) prostatae, inducere, tum non solum nil obstat, imo periculum imminens jubet, paracentesin vesicae supra symphysin ossium pubis institui.

§. 18.

Recentissimis temporibus cum fausto exitu, praecipue lobulo medio inflammato, prostata per Troicart perforata esse dicitur, quare collaberetur et urina mitti posset. Schoenlein (5) scarificationes seu per rectum sive per perinaeum, ad majorem sanguinis copiam amittendam idoneas putat et commendat.

§. 19.

Potest tamen, licet summa cum cura quotvis remedia

---

(1) l. cit. p. 57.

(2) Desault chirurgische Wahrnehmungen.

(3) Brodie l. cit. p. 82.

(4) Practische Beobachtungen. Lpz. 1792. S. 255.

(5) Pathologie und Therapie nach Schoenlein's Vorles. Bd. IV. S. 269.

in usum vocata sint, prostatitis exitum habere inoptatum in suppurationem, in indurationem, durante inflammatione chronica, neque non in sphacelum, cujus saltem Chopart (1) exemplum tradidit. De his nunc largius disseramus.

Caput II.

ABSCESSUS PROSTATAE.

§. 20.

Prostatae suppuratio haud raro occurrit, et fere omnes scriptores qui de hac re verba fecerunt saepius se eam observasse confirmant. Eo magis mirum nobis videatur, Schoenleinium hunc inflammationis exitum nunquam in prostata invenisse (2), dum Rust (3) duos casus curandos habuit, Amussat (4) quasi de re pervulgata loquitur, Home (5) multos abscessus prostatae casus pronuntiat, Brodie (6) nec non Soemmering (7) saepissime oblati videntur, nec priores medicos hic prostatitidis exitus fugerat; ita P. Frank (8), Bichat (9), J. Baader (10), Bruns (11), Hunter (12) de eo lo-

---

(1) Chopart: Traité des maladies des voies urinaires. Nouv. edit. par E. H. Felix Pascal. Paris 1821. 2. Vol. 8.

(2) Pathologie und Therapie Bd. IV. S. 268.

(3) Aufsätze und Abhandlungen Bd. I. S. 78.
Rust's Magazin Bd, II. S. 199.

(4) l. citat. p. 133.

(5) Praktische Beobachtungen etc. p. 155. sqq.

(6) l. cit. pag. 83.

(7) l. cit. p. 103.

(8) De cur. hom. morb. epit. tom. VIII. §. 770.

(9) Pathologische Anatomie S. 364.

(10) Obs. medicae. Obs. 27.

(11) Bruns im Sandifort'schen Thesaurus. S. 73.

(12) Hunter of the venereal disease. Aus d. Englischen. Leipzig 1787. p. 268.

quuntur. Ex hac comparatione conjecturam saltem facere liceat, in aliis regionibus prostatae morbos crebriores esse quam in aliis; frequentissima videtur prostatitis in Francogallia existere, quod quidem cum curatione morborum syphiliticorum minus anxia partim cohaereat.

§. 21.

Tales igitur prostatae abscessus seu in parenchymate glandulae ipso seu in tela cellulosa quae adjacet lobulosque singulos inter se conjungit obvenire nobis possunt. Quod vero saepissime et in universum glandularum suppuratio magis tela cellulosa coercetur atque in decursu tantum morbi substantia glandularis ipsa corripitur, ita de prostatae quoque abscessu plerique scriptores hanc referunt sententiam. Brodie (1) tamen cum olim sectione aliqua edoctus esset parenchyma prostatae suppuratione destructum, quae verisimile in ductibus excretoriis initium cepisset, hac experientia adductus, plerisque casibus suppurationem hac ratione progigni opinatur, non quidem negans, interdum in tela quoque adjacente cellulosa suppurationem posse sedem primariam constituere.

§. 22.

Plerumque abscessus prostatae ad regionem capitis gallinaginis vel saepissime post hanc partem ipsam (2) dehiscere solent, itaque similia symptomata ac prostatitis in conspectum ducere consuerunt. Haec symptomata, quae jam supra exposuimus, sunt: irritatio colli vesicae, dolores et labores in mingendo, difficultates in excretione alvi, tenesmus, quibus vero accedunt horripilationes semel iterumque redeuntes, et gravitas quaedam totius corporis.

---

(1) l. c. p. 95.

(2) E. Home l. c. p. 155.

§. 23.

Post ruptionem abscessus, quae quidem fere semper inter contentiones mingendi introrsum fit, (Brodie mentionem facit abscessus qui in intestinum rectum rumpebatur) una cum urina pus muco permixtum excernitur et, postquam ultimae urinae guttae defluxerunt, pungens apparet dolor, qui secundum mali gradum longius vel brevius tempus perseverat. Nonnunquam etiam accidit, ut sanguis, cujus copia inde a nonnullis guttulis usque ad verum profluvium differt, una cum illis massis prolabatur. Talem sanguinis missionem, quae quasi haemorrhagiae speciem praeberet, multi commemorant scriptores (1). Itaque per hanc missionem sanguinis etiam urinae color commutatur interdum, quae quidem roseo, rubro, fusco colore tingitur, aut sanguis in glomerulos coagulatur, qui canalem urethrae magis minusve coercent, ideoque praeter dolores inter mingendum etiam hac causa mechanica urinae missionem magnopere impediunt. Simul in glande penis dolor quasi a carbone excandescente percipitur.

§. 24.

Nonnulli scriptores studuerunt, fluidi prolabentis puriformis vel mucosi natura, quippe quod ex permultis organorum uriniferorum destructionibus originem trahere potest, ad diagnosin statuendam certius uti. Quae de his huc pertinent, haec sunt: sedimentum mucosum, crassum, puriforme, quod in urina ima se colligit et in vasis fundo libere se movet, catarrhalem tunicae mucosae vesicae indicat inflammationem; sedimentum mucosum quod filiforme

---

(1) E. Home l. c. p. 156.

se extendit, elasticum, albumini simile est, et vasis fundo adhaerescit, prostatae morborum est; sedimentum puriforme dum forma prostatae parva, mollis, plana sentitur, destructionem ejus suppurativam demonstrat; si vero, eadem puris natura, prostatam integram invenis, illud ex renibus venire verisimile est (1). Mucus qui ex prostata oritur, non ammoniacalis est, contra muci vesicalis raro major copia profluit quin partes terreas contineret. Soemmering contendit pus prostatae nihil distinguens habere sed vulgari uti puris natura, contra Home, qui ex eo solo prostatae morbum constanter dignoscere vult.

Evidet certe, hos puris characteres saepe nos inducere posse, praesertim ubi sub finem morbi prostatae desorganisationes renum coexistunt.

§. 25.

Suppuratio prostatae per errorem diagnoseos pro inflammatione et suppuratione vesicae urinariae ipsius saepius habetur, quacum scilicet propter summam symptomatum similitudinem mutari potest, praesertim cum abscessus postquam ruptus est in ulcus colli vesicae transiturus sit. Brodie ipse duo dat talis diagnoseos erroris exempla. In omnibus casibus, quorum observandorum Home occasio data erat, semper abscessus jam ruptus erat, ita ut mali indolem perscrutari tantum e morbi historia et ea re posset, quod acumine catheteris locum ulceratum sentiret, catheter facile ad hunc usque locum duceretur, ultra vero in vesicam non progrederetur. Ceterum hac exploratione etiamsi nondum abscessus ruptura evenit, tu-

---

(1) Lallemand's Beobachtungen über die Krankheiten d. Harnwerkzeuge. Aus d. Franz. v. Pestel, Leipz. 1825. S. 152.

mor facillime instrumento perrumpi potest, ita ut pus introrsum effundatur, quare verisimile fit, ut ruptura spontanea per perinaeum tam raro conspiciatur.

§. 26.

Nonnunquam symptomata prostatae abscessus adeo occulta sunt et non essentialia, ut ipsi medici experientissimi diagnosi fallantur. Brodie hoc sibi apud adolescentes interdum obvenisse enarrat, ubi symptomata omnino aliam faciem prae se tulissent. Inter alios hunc tradidit casum (1) memoria dignum:

Vir fere tricenarius in valetudinarium receptus erat, quod omni semihorio urinam mittere coactus erat et dolorem eminentem in regione lumbari querebatur. Quo excepto nullus dolor aderat aut symptoma alicujus momenti, nisi quod ex urina sedimentiolum puriforme coloris flavi cadebat. Ex anamnesi cognoscebatur, illas affectiones duobus annis ante incepisse, principioque morbi urinam sanguine tinctam fuisse. Recipiebatur igitur clysma opiatum singulis vesperis applicandum, quo urgor ad urinam mittendam etiam multum cesserat, cum subito aegrotus, postquam per mensis circiter spatium sub manibus medici fuit, apoplexia affectus defungeretur. Cadaveris sectio abscessum amplitudine magnae nucis juglandis reperiebat, qui, in posteriori prostatae parte exortus, per interstitium inter vesicam et vas deferens utriusque lateris post collum vesicae serpebat. Cum deinde pars urethrae prostatica discinderetur, post veru montanum magnum atque irregulare ostium in conspectum venit, per quod specillum in cavitatem abscessus facile transcurreret.

---

(1) Brodie l. c. p. 83.

§. 27.

Hoc prostatae malum se abscedentis ab aliis pro gravi, pro leviori morbo ab aliis duci videtur. Ita Soemmering de abscessu prostatae imprimis adolescentium quasi de re facili tractat, et exempla talium malorum sine magna opera devictorum citare studet (1). Brodie (2) plerosque quidem aegrotos dummodo caute ac prudenter curentur, dicit refici, alios vero morti succumbere, non ita propter vesicae morbum quam morbo secundario in renibus constituto prostratos. P. Frank (3) in prognosi statuenda animum ad fistulas illas dirigere conatur, quae ad anum usque et perinaeum prorepant; praeterea monet, his conditionibus alibi suppurationem arte exstinctam alibi iterum enatam, virium collapsu febrem lentam producere, quam mors in pedibus sequatur; simulque sectionem abscessu prostatae mortui quae commemoretur dignissimam citat, ubi non solum collum, sed fundus vesicae exulceratione inita in duas transverse fissus erat partes. Supervacuum autem videatur adjicere, totam praeterea aegroti constitutionem prognosin valde modificare posse, id quod de omnibus morbis valet.

§. 28.

Curatio. Ut caveatur, ne abscessus urethram prorumpat, Brodie persuadet, cum symptomata supra explicita suppurationis prostatae apparuerint et in perinaeo locus plenior atque eminentior in conspectum venerit, ne diutius moremur, sed, quamvis haud satis certis abscessus signis, perforationem scalpello faciamus ea directione,

(1) Loder's Journal für Wundarzneik. etc. Bd. I. S. 431.

(2) l. c. p. 86.

(3) Epitome Pars VIII. §. 770.

quam dolor tumorque indicent, impavide eo usque abscessum assequamur. Qua in operatione nil periculi adesse, duplex autem emolumentum. Nam si inveniatur abscessus, aegrotum statim et morbo liberari, simulque mala futura intercipi; sin nullus aderat, non tantum operatione aegroti conditionem non in pejus verti, imo tam sanguine ea amisso quam tensione partium perinaei cultro semota plerumque profuturam.

§. 29.

Sed cum, seu quod ita jam se nobis mandarat aegrotus, seu quod improviso inter curam accidit, abscessus cum vesicae collo communicationem jam iniit, tum non solum summa utatur quiete aegrotus oportet, sed quotiescunque urina vesicam premit, catheterem immittat sine mora ne vires ipse contendat, neve urina, qua nulla substantia cicatrisationi infestior est, per contactum abscessus curationem nimis prohibeat. Manu aegroti vel chirurgi minus habili, catheter etiam per totum aegritudinis tempus urethrae potest inhaerere, quamvis timor ne vesicae collum nimis irritet, tum accedat. Deinde injectiones Dt. Hordei, non minus ad leniendam urinae acritudinem quam ad mundanda loca suppurantia, diligenter adhibeantur (1). Amussat (2) balnea collaudat, quippe quae sanationem accelerent et sensibilitatem urethrae mitigent eoque catheteris applicationem minus difficilem aut dolorosam reddant.

§. 30.

Quae externa remedia dum curas in usum vocanda,

---

(1) Desault l. c. p. 285.
(2) l. c. p. 135.

ne interna omnino negligas, quae in totius corporis valetudinem vires exerceant. Omissis illis palliativis, quae dolores coerceant, uti nonnullis Pulv. Doweri dosibus, Cicutae s. Hyoscyami, praecipue debilitatis, qua homines illi scrophuloso plerumque habitu generatim laborant, ratio habenda est ad eventum morbi felicem. Quare interdum Chininum sulphuricum, aliaque tonica apta erunt. Sömmering (1) semper Hydrargyrum adhibitum vult, quod vero nulla indicatio, nisi syphilitica causa subest, postulare mihi videtur. Brodie (2) e Cubebarum usu gr. xx-- xxx interdum utilitatem se observasse affirmat.

Caput III.
ULCERA PROSTATAE.
§. 31.

Home (3) refert, cum corpus prostatae prope caput gallinaginis quovis modo vulneratum sit, hoc vulnus non facile in integrum redire sed in ulcerationem transire, quae, parti nulli parcens, mox totam glandulam in destructionem trahat. Hoc pernicioso urinae irritamento fieri opinatur. Attamen haec ad rem declarandam sufficere non videntur, cum sub aliis conditionibus vulnera prostatae haud majus impedimentum sanationi opponere videantur quam aliae partes, id quod lithotomia satis nobis demonstrat, cujus methodis usitatissimis prostata persecatur. Ne anterioris quidem prostatae lobi vulnera a vulneribus aliarum partium differunt, ni forte, quod omnium glandularum est, lentius valetudini appropinquant.

(1) l. c.
(2) l. c. p. 76.
(3) l. c. p. 161.

§. 32.

Symptomata, quae talem prostatae statum produnt dicuntur esse: secretio muci tenacis aucta, mixti cum pure, impulsus mingendi frequentissimus, dolor pungens, cujus vehementia secundum irritationem quam urina in ulcerosum exercet locum variat, quique, a vesicae collo ad glandem penis vergens, a doloribus e lithiasi proficiscentibus haud discordare fertur.

§. 33.

Causae exulcerationis praecipue partiunculae irregulariter conformatae glareae creduntur, quae, a vesica prodíturae ad caput gallinaginis implicantur, tunicaque acuminum acie pervulsa, paullatim in substantiam glandulae penetrant eaque continentur. Neque vero minus catheterum usitatio perversa accusatur metallicorum, praesertim cum prostata jam per se laborans instrumenti impetui non ita resistere possit ut non divellatur.

§. 34.

Quin haec ulcera ad perniciosos prostatae morbos pertineant, nemo dubitabit. Nam praeterea quod, etiamsi diagnoseos errore non ducamur, cura causas noxias perdendi plurimis laboribus implicata est, saepius indole mali non sat intellecta, symptomata colli vesicae morbo coorta videntur inepteque tractantur. Ut igitur stabilis fiat diagnosis, Home muci una cum urina profluentis, cujus vero naturam non accuratius describit nisi quod tenacem eum nuncupat, rationem haberi vult. Hunc enim mucum non nisi prostatae laesa valetudine, secerni ejusque secretionem, si modo accidentalis est, status inflammatorii, sin jam per longum temporis spatium inventus, nullis remediis cedat, ulcerosae conditionis prostatae

esse signum. Sed facile est intellectu jamque supra monitum, quam incertum hoc signum sit, etiamsi discrimina muci a muco aliorum organorum attente pervestigentur, eo magis vero, ubi characteres proprii omnino omissi neglectique sunt. Nam e quot organis tenax illa materia cum urina abiens potest originem ducere!

§. 35.

De therapia hujus morbi fere nihil dici potest. Nam glareae illae, glandulae inhaerentes firme, semoveri arte nisi operatione periculosa nequeunt, et ulcera celerrime sanas adhuc partes corripiunt. Itaque medici nil est nisi ut dolores vehementes qui praecipue contactu urinae corpus cruciant, per catheterem leniat, perque illa levamina, quorum jam saepius mentionem fecimus.

Caput IV.

INDURATIO PROSTATAE CHRONICA (1).

(Induratio scirrhosa, tumor prostat. chronicus.)

§. 36.

Jam supra (§. 12) paucis verbis attactum est, secundum Scarpae et P. Frankii experientiam omnes fere viros tempore decrepiditatis amplificatione laborare prostatae, quae serius ocius molestia organorum uriniferorum vehementi gaudia turbat senectutis. Hoc malum,

---

(1) cf. J. D. Herholdt über die Geschwülste der Vorsteherdrüse, in: Arnemann's Magazin für die Wundarzneiwissenschaft. Bd. II. Stück I. S. 101—125.

P. J. Desault: Traité des maladies des voies urinaires, publié par X. Bichat. Paris 1798.

Baillie on morbid Anatomy. Chap. XXII, Deutsch. Berlin 1794.

P. Frank: Interpretationes clinicae.

quod vitam mirum quantum acerbam reddit (idem quo Fothergill (1) ac Spallanzani (2) perierunt) vulgo tumoris chronici haud inepte secundum princeps symptoma, s. indurationis s. inflammationis chronicae, injuria vero indurationis scirrhosae nomen accepit, nisi abusu verborum scirrhi nomen qualecunque est malo quod amplificatione et justo majore firmitate substantiae excellit, imponere velis. Mihi quidem cognito illi morbo senum prostatae neutiquam respondere illa vox videtur. Nam quamvis in dubium trahere noluerim, scirrhum aliosque morbos constitutionales aeque atque alia organa imprimis glandulosa etiam prostatam occupare (3), ubi quamvis rariores quam in aliis organis, secundum Meckel (4) aliosque scriptores negari non possunt, tamen jam Mekkel ipse, ne cum induratione benigna in prostata haud insolito oriente confundamus admonuit.

§. 37.

Nam ut certe omnes testiculi morbos chronicos, quorum phaenomena praecipua, quibus oculos nostros sibi advertunt, in amplificatione et induratione consistunt, pro scirrho nemo velit haberi, sed etsi scirrhus, sarcocele, induratio benigna his symptomatibus initio consentiunt, tamen distinguere quisque studebit; ita etiam prostatae tumorum valde variat natura, nondum tamen sat perlustrata.

---

(1) Sömmering l. c. p. 106.

(2) Brera: Storia della malattia ed della morte del Prof. Spallanzani, übers. in Hufeland's, Schreger's u. Harles's Journal der ausländischen Literatur. Bd. II. Berlin 1802. S. 239.

(3) Brodie, p. 88.

(4) J. F. Meckel: Handbuch der pathologischen Anatomie. Bd. II. Abth. II. S. 365 u. 384.

Neque vero quisquam negabit, has distinctiones gravissimi esse momenti, quippe a quibus tam prognosis quam cura omnino dependeat.

§. 38.

Etenim si momenta, quibus induratio benigna a maligna differat perquiris, illam invenies post inflammationes praecipue chronicas, maxime in glandulis et in constitutionibus scrophulosis, apparere, scirrhum sine ullo inflammationis signo accrescere paullatim. Quod de majori vel minori duritie dictum est, non ita experientia sanctum videtur. Nam dum plerumque scirrho major durities conceditur quasi signum pathognomonicum, haec in induratione benigna solito quidem minor statuenda est, attamen interdum etiam pars quasi lapidea duritie est nec minime scirrhosae cedit. Haec enim duritiei diversitas a qualitate, quam organi substantia post inflammationem iniit, pendet, quae quidem modo exigue tantum commutata est, modo in substantiam steatomatosam, fibrosam, cartilagineam, osseam transiit, modo concrementa terrea continet. Induratio enim post inflammationem et hac re cooriri videtur, quod postquam inflammatio in secundum stadium transcurrit (stadium duritiei ac staseos inflammatoriae vocatum) acuta vitae actio sensim sensimque evanescit et durities, resolutione haud inita, characterem inflammatorium amittit, et propterea quod variae materiae indurescentes in parenchymate seu in interstitiis organi deponuntur (1).

---

(1) K. H. Baumgärtner's Handbuch der speciellen Krankheits- u. Heilungslehre, mit besonderer Rücksicht auf die Physiologie. Stuttgart u. Leipzig 1835. Bd. I. S. 359.

§. 39.

Quod vero potissimum indurationem scirrhosam a benigna distinguit, studium illius est transeundi in inflammationem et exulcerationem, quae serius ocius semper sequitur, dum benigna induratio vel per totum vitae spatium sine ullo periculo statu eodem perseverare potest, quod tam saepe in teste indurata videre licet, aut inflammatione recente resolvi aut in suppurationem exire, quae tamen destructiva non est. Itaque si prostatae induratio chronica in suppurationem transiit, nondum colligendum est morbum in scirrho prostatae constitisse, quamvis tam proclivis huic sententiae simus etiam in aliorum organorum, imprimis uteri morbis, ubi omnis fere suppuratio pro carcinomate existimatur. Si praeterea sectiones cadaverum quae edocuerunt respicimus, induratio prostatae inflammatione chronica vel latente oriri videtur, simili ratione ac post Thyreo-adenitidem saepe induratio, ossificationes, depositiones concrementorum terreorum gignuntur.

Brodie indurationem prostatae chronicam morbum sui generis vult haberi.

§. 40.

Cadaverum autem sectiones haec edocuerunt. Magnitudo prostatae interdum exigue aucta, nonnunquam bis, ter, decies, quindecies volumen justum transcendit. Wichmann (1) magnitudine ovi anserini eam vidit, nec non P. Frank (2); Bartholin (3) magnitudinem

---

(1) Wichmann, Ideen zur Diagnostik.

(2) De cur. hom. morb. Lib. V. 1794. pag. 204.

(3) Hist. Cent. hist. 1.

capitis virilis assecutam eam tradidit, Herholdt (1) octodecim pondere semunciarum invenit. Sententia Home, semper medium prostatae lobum i. e. eam partem quae inter vasa deferentia et collum vesicae versatur, affectum esse, ab aliis negatur; ceteras partes morbo non minus subjectas esse invenerunt. Structura prostatae magis minusve mutata inventa est, eaque plurimis casibus durior ac firmior, cartilaginea (2), ossea (3), rarissimis mollior. Forma interdum a normali non differens, saepius vario modo similitudinem castaneae amittit, quae collo vesicae adjacens urethra perforatur. Partes laterales ad diversas directiones extentae observatae sunt. Lobus medius tumefactus ad anterius in cavum vesicae post internum urethrae ostium eminebat, ceterum tumor a fabae ad citri aurantii magnitudinem assecutus erat. Si tumor parvus est, formam ostendit coni, cujus apex in vesicam prominet, basis vero cum cetera prostata cohaeret; sin major est, basis saepe tenuissima invenitur, quae tamen ad vesicam progrediens ita tumefit, ut pirum aequiparet. Haec tumefacti medii lobi forma longe vulgatissima mutatur, scilicet ubi unus vel alter lateralis tumoris particeps fit.

§. 41.

Urethrae pars prostatica per pressum tumoris plerumque in formam magis planam redigitur, saepius variis curvaturis prostatam perforat. Canalis urethrae, quia tumore circumjacente comprimitur, stringitur plerisque casibus; aliis vero contrarium fit, ut non raro valde dilata-

(1) l. cit.

(2) Wichmann l. cit.

(3) Philosophical Transactions Vol. 25 m. 308. in Leske's Uebers. I. Bd. S. 59.

tus sinus formam praebens secanti occurrat, qui plures fluidi uncias capere possit. Brodie atque Amussat hujus rei exempla dederunt. Simul curvatura urethrae non solum aucta est, ita ut segmentum circuli aequet, sed etiam longitudo integram urethram interdum duos ad tres pollices superat.

Amussat cum Home eo concordat, quod fere semper medium lobum corripi dicit, attamen canalem urethrae nunquam volumine diminutum esse, sed augeri ejus diametrum eadem ratione qua tumoris accrescat substantia et circuitus. Quare Dysuriam aegrotorum non parti urethrae prostaticae, cujus integrum sit volumen, sed collo vesicae, tumore compresso obnoxium esse.

§. 42.

Symptomata hujus morbi lentissime in lucem prodire occulteque malum parare quo aegrotum paullatim in perniciem trahunt, constat. Nam morbus ipse insensibili modo progreditur, quare, cum qui laborent eo, molestias primo certe exiguas minimi existimantes, medicum temere non adeant, tempus quo morbum vincendi vel inhibendi saltem nondum tantae difficultates adsunt, praeterit. Notum in vulgo est, paucissimos ex senibus esse, qui non molestiis in mingendo intercurrentibus magis minusve laborent; sed periculum quod imminet non providentes securi vel nihil agunt vel ipsi remediis quibusvis domesticis se curare student, cum subito seu post neglectam vivendi consuetudinem seu post corporis perfrictiones, saepissime etiam post excessum in venere prostatae tumor impetu sanguinis irritatus cito augmentatur ac symptomata graviora profert. Missio urinae repente dolores excitare, difficultates mingendi summum assequi

fastigium, urina prius guttatim profluens omnino retineri, systema nervosum affici et, vesica paralysi affecta, mors doloribus finem imponere, nisi ars sine mora vesicam contento liberat.

§. 43.

Etiamsi tales impetus animum aegroti nondum sollicitarint, tamen, progresso morbo, urinae fluxus saepe interrumpitur, ita ut guttatim ac perpendiculariter procidat, minoribus quam solitis spatiis premat vel inscio aegroto praecipue nocte mittatur. Quae enuresis tristissimum reddit aegrotum, qui in nulla hominum societate diutius versari possit. Urinae natura primo non a sana se distinguens, in decursu morbi nonnullos flocculos s. tenues fibrillas suspensas habet, primo pellucida, paullatim turbida fit.

§. 44.

Irritatione perpetua tumoris in vesicam prominentis urinaeque retentae, inflammatio tunicae mucosae vesicalis oritur, quae facillime in Blennorrhoeam exit. Quam primus Trampel (1) observavit, dein potissimum Brodie. Delpech (2) imaginem excellentem aegroti tristissimae conditionis hujus, qua saepe diem obit supremum, expressit; nam mirum quantum prosternuntur vires. Urina fit lactea, spumosa, odoris ammoniacalis perversi; dum refrigeratur, album, tenue vasique non adhaerens colligitur sedimentum. Nonnunquam post urinae pressum sub dolorum summa vehementia aliquae sanguinis guttulae pro-

---

(1) I. E. Trampel, medicinische und chirurgische Bemerkungen. Goettingen, 1793. p. 1.

(2) l. cit. p. 274.

labuntur, qui postea in vesicam assidue effusus urinaeque admixtus varie eam tingit. Mox folliculorum mucosorum secretio copiosior fit crassiorque, et tria nunc continet urina sedimenti genera: materiam glaream, quae fundum tegit, puriformem, quae medium tenet, et sanguis in vesicam perpetuo effusus, qui supremum efficit stratum.

§. 45.

Ne muscularis quidem tunica vesicae mutationibus caret. Haec enim vi ac crassitudine excellit quia ex morbi initio saepius ac fortius contentionibus exercebatur; per interstitia fibrarum muscularium non raro tunica mucosa, ut in stricturis urethrae, quasi saccus projicitur; in quo interdum fluidum puriforme cognoscitur, quod vero urinae non admiscetur quamvis cavum sacci a cavo vesicae non interceptum sit.

§. 46.

Gravissimi sunt momenti morbi renum coexistentes, quorum tamen symptomata valde varia sunt, et neutiquam stabilita. Urinae enim secretio modo aucta est, modo omnino suppressa, modo qualitas ejus integrae cedit. Primo opalem accipit colorem pristinam pelluciditatem amittens, et exploratio chemica albumen invenit; posterioribus stadiis flavo induitur colore, et refrigerans sedimentum flavum secernit puri simillimum. Renes inflammatione rubri, subnigri, substantia molliores; pelvis calicesque cum ureteribus dilatati; nonnunquam abscessus renales, puris infiltrationes; modo circuitus renum minutus sed firmior, modo amplificatus sed mollior; superficies inaequalis, quasi lobata.

§. 47.

Diagnosis morbi non magnis difficultatibus subjecta

est. Prostata major ac durior sentitur indurata; ab inflammata distinguitur quod attactu non dolet, aegrotus non febricitat, dolores in mingendo non subito cooriebantur. A Lithiasi facile distinguitur (vid. §. 4.) (1).

§. 48.

Causae morbi ab aliis aliter explicantur. Labraud(2) hereditariam dispositionem accipit, quod ex iisdem parentibus plures natos jam vigesimo aetatis anno elaborantes vidit. Alii, de hac re tacentes, originem in causa syphilitica ponunt. Ita Soemmering (3) inflammationem pristinam syphiliticam accusat, non omnino resolutam. Richter (4) praecipue in Dyscrasia scrophulosa causam statuit, deinde in impetiginibus suppressis, arthritide aut haemorrhoidibus anomalis, in abusu denique spirituosorum et vitae sedentariae. Attamen nonnunquam omnino causae nos fugiunt, tumorque simili ratione coortus in maribus videtur, ut in foeminis, tempore involutionis, aliorum organorum, ovarii, uteri indurationes saepe gignuntur.

§. 49.

Prognosis mala statuenda est. Plerumque morbis secundariis, vesicalibus et renalibus, finis vitae imponitur. His quidem provideri, sed volumen prostatae in integrum reduci non potest.

---

(1) Amussat, l. cit. p. 144.

(2) Labraud, Sur les rétrecissemens chroniques de l'urèthre. Paris, 1805. p. 44.

(3) l. c. p. 109.

(4) A. G. Richter, specielle Therapie, nach den hinterlassenen Papieren etc. 4ter Band.

§. 50.

Cura. Omissis remediis palliativis, de quibus jam pluries dictum est, quorumque ad usum necessitas hoc morbo saepe nos cogit, omisso usu catheteris elastici, quem aegrotus ter vel quater per diem adhibeat oportet, et sine quo tota cura nulla est, hic de ceteris remediis tantum loquimur, qui radicalem sanationem dicuntur efficere, quae vero plerumque fere nil agere ex congerie medicamentorum jam colligi potest. Nam dum Soemmering Ungt. Hydrarg. inunctiones laudibus tollit, ab Heberden (1) omnino rejiciuntur, dum Rust (2) inunctionibus suis methodicis aegrotum feliciter se curasse narrat, alii nullam viderunt utilitatem, etiamsi syphilitica videretur causa morbo subesse. Trampel applicationem setacei ad perinaeum collaudat, interne Rheum cum Kali nitrico, gr. xxv sing. vesp., et octonis diebus Magnes. carb. ʒß cum gr. VIII Kalomel. Richter (3) vesicatoria, linim. ammoniat. cum interno usu Dt. Mezerei cum Fol. Uvae ursi praedicat. Recentiori tempore magnae Salis Ammoniaci doses comprobatae sunt a Fischer (4), qui hujus salis ℈jj cum Sulph. aurat. gr. j una cum amaris recipiebat, quod tamen remedium in indurationibue tantum e rheumatica vel arthritica causa utile esse fertur. Niel (5) Aurum muriaticum natronatum in te-

---

(1) Heberden, Commentarii de morborum historia. Francof. 1804. Cap. 77.

(2) Aufsätze etc. p. 79.

(3) 4. Bd. 2. Abth. der chronischen Krankheiten.

(4) Rust's Magazin. Bd. XI. S. 299. 306.

(5) Niel, Recherches et observations sur les effets des préparations d'or etc., publié par Chrestien. Paris 1822. A. d. Franz. von Cerutti. Lpz. 1823.

stis induratione feliciter adhibuit, quare Bonorden (1) experiendo id dignum aestumat. Barthez (2) praecipue celebrat clysmata e Ruta, Cicuta, Hyoscyamo cum Sale ammon. — Jodine, quae initio medicis propter efficaciam in struma magnam injiciebat spem, nil praestitit (3).

Perspicuum est, si qua dyscrasia malum produxit, contra hanc praecipue esse agendum, veluti etiam morbi renales ac vesicales coexistentes propriam curam exhibent.

Desperatis omnibus, quam vocant Boutonnière operatio commendatur (4), qua non solum urina liberius mitti, sed sequenti suppuratione etiam tumor prostatae diminui dicitur.

Caput V.
CALCULI PROSTATAE.
§. 51.

Calculi jam saepius in prostatae substantia aut in ductibus ejus excretoriis inventi sunt, credoque non accipi posse eos semper per vesicam eo venisse. Quidnam obstat quin, ut in ceteris glandulis, etiam in hac enascantur? Ita Bichat (5), Baillie, Morgagni (6), Mek-

---

(1) l. c. p. 219.

(2) Sur les maladies goutteuses, Vol. II. S. 331.

(3) Brodie p. 105.

(4) A. G. Richter's Anfangsgründe der Wundarzneikunst, Bd. V. §. 348.

(5) Xavier Bichat, pathologische Anatomie. Letztes Werk. A. d. Franz. v. A. W. Pestel. Lpz. 1827. S. 263.

(6) De sed. et caus. morb.

kel (1), Marcet, Austin (2), Howship (3), Brodie (4), Amussat (5), nec non Pohl et Neigefeld (6), eos observaverunt. In Museo Londinensi (7) prostata versatur tumefacta, in cujus substantia ingens multitudo calculorum invenitnr, quorum nullus capitis acus magnitudinem superat. Amussat tumefactam dissecuit prostatam, in cujus quasi sacco quodam quadraginta septem reperiebat calculos, Howship abscessum prostatae describit, cujus in parietibus sulcos quosdam inveniebat, qui magnam calculorum rotundorum multitudinem continebant, quos prostaticos ob naturam suam vult haberi.

§. 52.

Qui calculi prostatae sunt rotundi, sphaeroidales varia magnitudine, inde a capite acus ad nucem avellanam. Superficies fusco-flavescens glabra est et quasi laevigata; textura interna striis regularibus insignis, quae facile separari possunt. Secundum Wollaston (8) compositio horum calculorum cum ea calculorum salivalium convenit, qui iterum secundum Fourcroy (9) illos gland.

---

(1) l. c. Bd. II. Abth. II. S. 467.

(2) William Austin, a treatise on the origin etc. Lond. 1791. übers. in d. Samml. auserlesener Abhandl. z. Gebr. pract. Aerzte. Lpz. 1793. Bd. XVI. St. I.

(3) J. Howship, pract. Bemerkungen über die Krankht. d. Harnw. A. d. Engl. Lpz. 1829. S. 129. 152.

(4) l. c. p. 189.

(5) l. c. p. 146.

(6) Bichat l. c. p. 262.

(7) Brodie l. c.

(8) Phil. trans. 1797. p. 396.

(9) Syst. des conn. chim. T. IX. p. 312; p. 381—382.

lacrymalis aequiparant. Consistunt enim e calcaria phosphorica neutr. et muco animali.

§. 53.

Plerumque molestias non proferunt; quae vero etiamsi nascerentur, ars nil valeret. Brodie semel calculos prostat. recte dignoscebat, eosque in sacco proprio versantes, perinaeo persecato, extraxit feliciter.

Caput VI.

VARICES PROSTATAE.

§. 54.

Varices non ita in prostata ipsa quam in tela adjacente cellulosa occurrere videntur; in illa quidem Bichat (1) omnino eas denegat; Richter (2) et Chelius (3) utrumque casum accipiunt. Alii, ut Meckel, Andral, omnino de hac re tacent.

§. 55.

Cooriuntur, ut ceterae varicositates in pelvi excessu in Venere, abusu spirituosorum, vita sedentaria, nimiis in faecibus et urina excernendis contentionibus. Saepissime cum haemorrhoidibus cohaerent.

§. 56.

Exploratio manualis tumefactam prostatam sentit, sed non dolorosam, ac plerumque mollem; ne in fluxu quidem urinae per urethram dolor enascitur. Quibus rebus hic tumor ab aliis differt.

§. 57.

Cura ut contra haemorrhoides instituenda est, si cum

(1) l. c. p. 362.
(2) spec. Ther. IV. Bd.
(3) l. c. Bd. II. Abth. I. §. 1548.

iis malum cohaeret; si non, possunt clysmata adstringentia adhiberi. Plurimum catheter proderit in vesica diutius retentus, qui non solum vasa tumefacta comprimat sed etiam irritatione vim cohaesionis augeat.

Caput VII.
PROSTATA SCROPHULOSA, TUBERCULOSA.

J. F. Meckel (1) in §. 58. hominibus scrophulosis interdum non solum in testibus et epididymide tubercula coloris candidissimi et magna duritie invenit, sed semel etiam prostatae totam substantiam in materiem tuberculosam transformatam.

Etiam Baillie (2) tam prostatam quam vesiculas seminales scrophulosas vidit.

Soemmering (3) arbitratur, etiam illam quam Burggrave (4) describit prostatam huc pertinere.

Caput VIII.
FUNGUS HAEMATODES PROSTATAE.
§. 59.

Meckel (5) nonnullos huc refert casus, quibus prostatam valde amplificatam, ait, in substantiam mollem, sparsim fuscam, partim subalbidam commutatam et in cellulas divisam sibi obviam venisse, nec non opinatur, hujus morbi, ut tuberculorum prostatae, plura exempla ab aliis scriptoribus sub scirrhi nomine descripta esse.

---

(1) l. c. p. 386.
(2) Anatomie des krankh. Baues etc. p. 192. 194.
(3) l. c. p. 114.
(4) Epist. ad Haller. script. Nr. XI.
(5) l. c. p. 316.

V I T A.

Ego Samuel Lubarsch, Landsbergae ad Wartham, oppido Neomarchico, die XXI. mensis Februarii anno MDCCCXV. patre Marco et matre Henriette e gente Calé natus et fidei veteri addictus sum. Primis literarum elementis privatim imbutus a praeceptore spectatissimo ac dilectissimo, summe de me merito, L. David, cujus dum vixero nulla oblivio exstinguet memoriam; nec non schola urbanam quam vocant Landsbergae frequentata, Berolinum me contuli, ibique in tertiam gymnasii Berolinensis, quod tum temporis sub auspiciis Ill. Bellermann florebat, classem receptus sum. Ubi per quatuor annos et dimidium versatus, cumque maturitatis testimonio ab Ill. Koepke anno hujus saeculi trigesimo secundo dimissus, in numerum civium academicorum universitatis Fridericae Guilelmae die III. mensis Octobris ab Ill. Marheineke t. t. rectore magnifico receptus sum et a Beato Rudolphi t. t. facultatis medicae decano spectab. medicinae studiosis adscriptus. Inde autem ab illo tempore his interfui praelectionibus:

Docuit me Ill. Schlemm osteologiam, anatomiam, splanchnologiam; Ill. Mueller physiologiam, anatomiam organorum sensuum, anatomiam pathologicam, nec non una cum Ill. Schlemm in cadaverum dissecandorum arte me instituit. De physice experimentali Cel. Dove, de logice et metaphysice Ill. ab Henning, de hodogetice Ill. Steffens, de recentioris aevi historia Ill. Gans disserentes audivi; Cel. Wiegmann de zoologia, Ill. Link de botanice atque historia naturali, Ill. Mitscherlich de chemia experimentali. Cel. Ascherson chirur-

giam cum generalem tum specialem me docuit, Ill. Horn pathologiam et therapiam specialem doctrinamque de morbis syphiliticis, Ill. Osann materiam medicam, Cel. Casper artem formulas medicas concinnandi, nec non doctrinam de morbis infantum, Ill. Rust fragmenta chirurgica Praeterea clinica et medica et chirurgica et ophthalmiatrica et obstetricia et illa circa infantium morbos Illustrissimorum et Celeberrimorum virorum Barez, Bartels, Busch, Juengken, Osann, Rust, Truestedt, Wolff frequentavi.

Quibus omnibus viris, summe de me meritis, gratias ago quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico coram amplissima philosophorum facultate, quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Remedia specifica nego.
2. Remedium anceps melius quam nullum.
3. Inflammationem intestini ilei non causam esse typhi abdominalis, sed symptoma tantum vel reflexum morbi cujusdam universalis, contendo.
4. Aliud organon, ne glandulosum quidem, alius glandulae aliam materiam secernentis munere fungi nunquam potest.
5. In medicina omne, et nullum venenum.
6. In pneumonia certius quam pulsus respiratio sanguinis missiones indicat.